



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

NOVAE URBIS*

IN SLOVENIA NOVA CONDITUR DIOECESIS NOVAE URBIS.

Commodioribus condicionibus exstantibus in Slovenia, aptare studemus ibi ecclesiastica instituta. Cum igitur nuper Venerabilis Frater Aloisius Uran, Archiepiscopus Labacensis, audita Conferentia Episcoporum Sloveniae, ad efficacius consulendum spiritalibus christifidelium necessitatibus, postulaverit ab Apostolica Sede ut ex parte sibi concreditae circumscriptionis nova conderetur dioecesis, Nos huiusmodi propositum mature ponderavimus et, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Sanctis Abril y Castelló, Archiepiscopi titulo Tamadensis atque in Slovenia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, excipiendum iudicavimus.

Quapropter de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis seiungimus ex territorio archidioecesis Labacensis partem quae amplectitur Vicariatus foraneos vulgo dictos: Črnomelj, Kočevje, Leskovec, Novo Mesto, Trebnje et Žužemberk, insuper etiam paroeciam vulgo nuncupatam Dole, atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus Novae Urbis nomine appellandam.

Huius novae dicionis sedem in urbe Novo Mesto statuimus ac templum Deo in honorem sancti Nicolai dicatum in hac urbe situm ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Episcopis atque suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Labacensi eiusque Episcopum pro tempore subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Ecclesiae Metropolitanae. Cetera ad normam Iuris Canonici expediuntur.

Ad haec Nostra mandata exsequenda destinamus Venerabilem Fratrem Sanctem Abril y Castelló,

Archiepiscopum titulo Tamadensem atque in Slovenia Apostolicum Nuntium, omnes necessarias et oportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus eiusdem peractae executionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOANNES B. card. RE <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 6, pp. 429-430

© Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana